

quidquid actum fuerit, irritum habeatur: quæ sunt verba Pontificis. Vnde Confessarij ab eisdem approbati iurisdictione pro foro conscientie carent, & consequenter Parochi assistere celebrationi Matrimonij nequeunt, cum verè Parochi non sint, & ita illud validum esse non potest.

95 Vbi dici nequit errorem esse communem, & titulum coloratum: quia reuera error communis non fuit, reclamantibus quamplurimis, & defectum allegantibus, quem tandem aliquando Sedes Apostolica vt inexcusabilem Orbi vniuerso propalauit. Quo vitio Ordinati ab eodem, aut constituti Parochi laborarunt. Comuni autem errore non extante, nihil coloratus titulus prodest, qui & penitus defuit: debuit enim à legitimo Superiore conferri, vt est communis sententia Doctorum, pro qua & communi errore videri potest P. Thomas Sancius *Lib. 3. de Matrimonio Disputat. 22.* & Bonacina *Tomo 1. quest. 2. de Matrimonio Puncto 8. num. 25.* Non fuit autem legitimus Superior Episcopus ab officio suspensus, & repulsus propter præposterum ingressum: qui neque titulum coloratum habuit, quem sufficere in Superiore asserit Bonacina: quia & hic conferri ab aliquo debuit; quod tamen non ita accidit: si enim ab aliquo, maxime à Pontifice: quod dici nequit, quia Pontifex per Litteras confert, quæ penitus defuerunt, vnde & intrusus, & violentus detentor asseritur in Bulla Pauli Tertij sine illis ingrediens: talibus autem non suffragari communem errorem obseruat Flaminius *de Resignat. Lib. 11. Quest. 1. n. 11. Vt notant omnes Doctores*, quæ sunt illius verba. Pro quo & P. Comitulus *Lib. 6. Quest. 58.* præfertini *numer. 4. & 5.* Vbi Syluestrum adducit, Panormitanum, & Alexandrum Hallensem.

96 Quod si alicubi defectus erat prorsus ignotus, & sic Ordinati approbationem, aut institutionem Canonicam ab alio Episcopo habuerunt, probabile videtur acta fuisse valida. Sic enim eis fauet grauium Scriptorum sententia, quos adducit & sequitur P. Thomas Sancius citata *Disput. 22. num. 9. & 13.* Bonacina *num. 31.* & P. Suarez *Tomo 5. Disput. 13. Sect. 1. num. 16.* & Recentiores communiter amplectuntur. Immo & errorem communem sine titulo sufficere sunt qui teneant, vt videri potest apud Dianam *Parte 2. Tract. 2. Miscellaneor. Resolut. 43.* & *Parte 3. Tractatu 4. Resolut. 122.* ex quibus & Leander *Tomo 1. Tract. 5. Disput. 5. Quest. 81. & Disput. 11. Quest. 102.* alios adducens. Et videtur non displicere P. Busenbaum in *Medulla Theol. moralis Lib. 6. Tract. 4. de Pœnitentia Cap. 2. Dub. 3. numer. 8.*

97 Si dicas sententiam esse P. Suarij *suprà Disput. 40. Sect. 2. num. 45. & 46.* quam secuti sunt alij, vt videri potest apud Dianam *Parte 4. Tractat. 2. Resolut. 68.* irregularem & suspensum valide absolueret, si Pœnitens bonâ fide accedat. Respondeo id in casu præsentis locum non habere; non solum quia contrarium absolute sentiunt plures apud Dianam, quibus addendus P. Comitulus *Quest. 9. citata*, vbi alios adducit, & P. Bauny cum alijs, quos citat, *Quest. 9. etiam citata, Dicto 8. §. Sacerdos quem.* & Dicto vltimo. §. *Quidquod.* Sed quia illud procedit, quando habens aliàs iurisdictionem, priuatur ipsâ: tunc e-

nim eum tantum priuatur usu, iurisdictione remanet in eodem radicata; eò quod in ordine ad valorem actus non inueniatur per Ecclesiæ Canones abrogata. In casu autem nostro secus euenit, nam iurisdictionis acquisitio penitus remouetur. Et ita censuit Congregatio D. D. Cardinalium apprehensionem possessionis fuisse illegitimam, & consecrationem quoad vsum irritam & inane. Vnde neque allegari potest suspensionem non obtulisse, eo quod suspensus esset toleratus, cum non esset publice denunciatus, iuxta Extrauag. Martini V. *Ad cuiusmodi*: quia suspensio dicta est per modum repulsæ ab ingressu in officium, vnde & ille cum tumultuariâ & non pacifica possessione, irritus & vanus fuit, volente expressè Pontifice vt nullum habeat effectum, quod ex verbis Extrauagantis est compertum & etiam Iulij Tertij, quia ab intruso, & violento detentore, vt iam vidimus asseritum ab ipso. *num. præced.* Et circa sic ingressos Extrauagantem Martini V. non procedere, videri potest apud P. Comitolum *suprà num. 12.* videndus etiam P. Suarez *Disput. 31. Sect. 1. num. 23.* Constat itera ex dispensatione super irregularitate à Pontifice concessâ, quæ necessaria non esset, quia non denunciati celebrantes illam non contrahunt, cum rogari id faciunt: vt videri potest apud P. Gasparem Hurtadum *de Suspensione, Difficult. 5. num. 13.* Et P. Bauny *Tract. 8. in Epitome Cap. 5. in fin.* etiam grauius peccent: immo etiam si se ingerant, vt vterque significat: ille *numer. 14.* & hic eum adducens §. *Quod in eo*, quando ita exercentur actus, vt conditionem importent, si à Fidelibus acceptentur. Non constabat autem aliter factum ab eo, aut ab eis, cum quibus est dispensatum.

98 Accedit id, quod valde notandum est, & negotium istud videtur penitus conficere: tunc scilicet suspensionem valori actus ob stare non posse, quando suspensione sublata validus esse posset, si enim aliàs actus esset inualidus, & stante suspensione validus euaderet, beneficium quis ex sua iniquitate reportaret; & melioris, succedente Censurâ, conditionis redderetur. Quod quidem Doctores plures Iuramento tribuunt ob reuerentiam diuini nominis, cum tamen negent plurimi. Iam ergo in casu nostro loquendo, etiam suspensione sublata ingressus est nullus, Litteris non exhibitis; quia contra manifestam Pontificum voluntatem, & idè acta annullantur, ac negantur proventus, vt vidimus, vbi neque error communis, neque coloratus titulus, vt est ostensum, possunt suffragari.

99 Secus posset aliquis existimare de ingressu Litteris exhibitis, sed non præstito fidelitatis & obedientie iuramento, quod scilicet ingressus validus sit, sed pœna suspensionis incuratur, si post illum non præstetur. Id quod fundari potest ex eo quod recipientibus sic ingredientibus nulla pœna imponitur: illud enim quod in fine habetur, *vt de alijs prædicatur*, non ad recipientes, sed ad Prælatos est ipsos, iuxta Glossam, referendum. Et potest esse casus non raro occurrens, quoties scilicet Episcopus ante consecrationem præsentatis Litteris administrationem suscipit, tunc enim iuramentum non præstat, sed in consecratione, iuxta exemplar Cap. *Ego N. de Iur-*

irando,

irando, vel quam voluerint Pontifices formam assignare, vt reuera assignarunt: pro quo videri potest Andreas du Saussay in *Panoplia Episcopali, Lib. 2. in fine.* Tunc ergo si non præstetur iuramentum, suspensio incurritur in citata Extrauag. designata: quæ non obstante videtur licere communicatio, quia non est Episcopus denunciatus. Quod quidem verosimile apparebit fortè nonnullis: sed cum in Extrauagante annullentur acta sic ingressi, sicut & ingressi sine Litteris Apostolicis, difficultas videtur per stare, de qua nuper ex hoc pacto dispositio ferè esset inutilis, cum non sit, præsertim in locis valde distantibus, & in Indijs maxime, qui denunciare Episcopum possit, & sic acta semper essent valida. Id quod pro casu etiam, de quo specialiter agimus, non parum videtur habere momenti.

100 Vbi id profecto dici potest Extrauagantem prædictam priorem esse aliâ Martini V. *Ad cuiusmodi*, sciebat autem Pontifex Episcopos non denunciandos communiter loquendo; ergo licet acta ab ipsis aliàs essent nulla, ex vi fauorabilis illius Constitutionis valida debent reputari. Sed certè euasio ista ex eo præcluditur, quia aliàs Decretum S. Congregationis minime esset Iuri conforme ac rationi, dum inutilis, vanus, & irritus pronuntiatur ingressus, cum constaret ipsi Episcopum denunciatum non fuisse. Sicut & in casu non præstiti iuramenti dicendum, quia eodem modo constitutio disponit. Illius ergo vis non est per posteriorem aliam labefactata, quia tantum procedit in casu ei simili, aut quodammodo eodem, de quo *numer. 97.* quando scilicet suspensio habenti potestatem ad actum cum pacifica possessione, & sine notorio vitio intrusionis. Pro quo & Diana *Parte 5. Tractatu 10. Resolut. 52.* cum Victoria, Caietano, ac Ludouico à Cruce, de absoluteione à suspensio impensâ loquentibus; quamuis sint qui negent *ibidem.* Videatur P. Comitulus *suprà numer. 12.* vbi obseruat Extrauagantem dictam de ingressu per intrusionem non procedere. Videndus etiam P. Bauny *Tomo 4. seu Praxi Beneficiorum, Disputat. 1. Quest. 7. §. Regula 5. & seqq.* vbi ait quod licet eum dicitur, *ipso iure, aut ipso facto, vacat officium aut Beneficium*, non excludatur sententia saltem declaratoria criminis, vnde nec inducitur priuatio iurisdictionis, ex P. Lessio, & alijs. Id tamen non habere locum, cum verus possessor non est ex defectu qualitatibus requisitæ. Quod quidem in casu nostro contingit, in quo priuatio iure & facto iniungitur à Iulio III. & qualitas ad ingressum omnino necessaria desideratur, scilicet exhibitio Litterarum. Pro quo P. Thesaurus *de pœnia Ecclesiast. Parte 2. V. Fidei professio. vers. Ex hoc*, cum Nauarro in *Manual. Cap. 25. num. 113.* Licet sint qui dicant sententiam declaratoriam requiri ad amissionem fructuum, pro quo Bossius *Parte 1. Tractatu de Matrimon. Cap. 5. numer. 93.*

101 Licet autem in casu non præstiti iuramenti potestas ad actum supponatur, iuxta contingentiam dictam de possessione legitima ante consecrationem; id non videtur ob stare, quia Pontifex eodem modo vult dispositionem illam procedere, vt ex verbis illius constat, dum concludit; *vt de alijs prædicatur*: licet hoc non ita

Thesauri Indici Tom. II.

certum videatur, & possit aliquo modo sustineri, dum Sacra Congregatio aliud non decernit, vt credi quidem potest decreturam, quia hoc est Decretis alijs eiusdem conforme: vnde in hac materia semper est cum omni securitate possibili procedendum, ne similes tragediæ videantur. Et verò per litteras ex Europâ missas compertum habetur Pontificem in concedenda absoluteione ac dispensatione prædictis valde se difficilem exhibuisse. Quid ergo faciet sic inter angustias deprehensus? & quale erit dignitatis dedecus, ab ea ingressum non per ostium, sed stellationis more per maceriam reptando, decidisse? Aut ingressum canonicè ob administrationem præposteram, vel damnabilem sacrorum vsum, quasi manibus & pedibus ligarum à luce ac splendore Pontificiæ Sedis in exteriores tenebras, in statum inquam obscurum ac contemptibilem amandari?

102 Idè obseruanda est valde doctrina quædam apud P. Thomam Sancium in *Opere Morali, Lib. 1. Cap. 10. num. 61.* vbi ait ob dubiam excommunicationem impediri aliquem ne in Episcopatum aut dignitatem promoueatur, à quibus turpe sit aliquando eum deturbari, comperta Censurâ veritate, aut saltem ob dubium illud nota aliqua inuretur Dignitati. Quod docet Glossa in *Cap. 1. Sententia 8. quest. 1.* & probat ex *Cap. Tantis 81. dist. & Cap. Omnipotens de accusatione.* & cauetur ita, non tam gratia excommunicationis dubiæ obseruandæ, quam reuerentiæ gratia, debita Dignitati. Et constat, quia idem fieret in dubio alicuius criminis nullâ affecti Censurâ. Sic ille philosophatur, ex quo & P. Palaus *Parte 6. Disput. 1. Puncto 8. num. 9.* addens quod si periculum cesset, quia moraliter loquendo Censura cognosci non potest, dubium huiusmodi nullum præstabit impedimentum Ecclesiasticæ dignitati accipiendæ. Id autem quod de excommunicatione dicitur, ad suspensionem extendendum constat identitate rationis, quia ob illam potest Prælatu Ecclesiasticus à suâ dignitate deturbari, cui & notam iniuri est pariter manifestum. *Sacro nomini absit iniuria.* Sic in citato *Cap. Tantis. D. Cœlestinus Pontifex ex Epist. 2. ad Episcopos Gallia.* Pro quibus hæc satis.

Circa Caput VI. & §. I.

De obligatione visitandi Episcopos perurgente.

103 FAcit pro illâ id, quod habet Pater Petrus Hurtadus 2. 2. *Disputat. 162. de Charitate. §. 60.* vbi post declaratam ipsam in Parochiis & Prælati alijs, & etiam in Concionatoribus in ordine ad correctionem, ita scribit: *Hinc coniciant vtrum suo muneri satisfaciunt, qui totâ Diocesi & Republicâ incendio peccatorum deflagrante, pacatè domi sua dormiunt, qui sui officij legibus tenentur omnes angulos conspiciere, ne quod peccatum lateat in tenebrarum latebris.* Sic ille.

Circa §. Tertium.

Ubi de congrua Episcoporum.

104 **A**git de illâ P. Bardi in *Selectis*, Lib. 3. *Quaest.* 10. *Seç.* 4. & 6. & in 5. probat non peccare contra iustitiam profanè expendens. In 4. autem *num.* 3. & 4. validè improbat sententiam Lorca 2. 2. *Disputat.* 40. *num.* 44. vbi contendit Decretum Concilii Tridentini largitiones Episcopis prohibentis non pias, de immobilibus tantum bonis accipiendum, & de iuribus ad annos redditus. Quæ intelligentia omnino est à mente Patrum Conciliarium aliena. Pro largitionibus enim talibus non erat opus nouum Decretum efformari, quandoquidem Episcopi suo libitu nequeant bona immobilia, inter quæ etiam iura ad annuos redditus computantur, sed iuxta Canonici iuris dispositiones vrgentissimas alienare. Vnde neque ex illis licet moderatas cognatis facere donationes, quas tamen Concilium ibidem admittit. Videndus etiam Diana *Parte* 10. *Tract.* 11. *Resolut.* 35. vbi contra Lorcam etiam dimicat Duallij armis. Qui & *Resol.* 36. cum eodem & aliis firmat pauperes loci esse præferendos, & quid circa filios spurios. Circa primum autem iuuat ex P. Ioanne Rho in variâ virtutum historiâ *Lib.* 1. *Cap.* 12. §. 4. luculentum exemplum posuisse sic enim ille. *Ibissam insulam ab Otomannica clausis arce imposta, ut muniret Carolus Cesar pecuniam vnde vnde corradebat. Ergo à Villa-noua, cuius proximum & opulentissimum esset Sacerdotium, XX. mil. mutua petiit. Negat vir Dei pauperum suorum redditus passurum se in bellicos vsus conuerti, mouentibus consulti deservissimis Insulanis, Valentinos pauperes à Deo sibi commendatos, non Ibissanos esse, respondit, & alia lectu dignissima. Videri etiam pro Episcoporum obligatione potest Verricelli *Tom.* 1. n. 83. vbi ait illos teneri saltem ad medietatem residui, & ceteros ad sextam, cum aliis citatis n. 48. & pro Religiosis Pasqualigus *Decis.* 267. vbi probat omnino à voto paupertatis absolui, sicut & ab aliis etiam solemnibus, de quibus proximis Capitibus.*

AD TITVLVM XIV.

Circa Caput I. num. 4. & seqq.

Ubi an Parochi esse Vicarij Generales possint.

105 **V**æ à nobis circa hoc dicta, si residere nequeant, tenent Pasqualigus *Decis.* 463. nullâ additâ limitatione, nisi duorum mensium vacationis.

Circa Caput V. & num. 20.

Ubi de obligatione fraternæ correctionis

Non esse illam in delictis publicis, videri apud Dianam potest *Parte* 7. *Tract.* 3. *Resol.* 42. & propter illius defectum non posse denuntiationem repelli *Resolut.* 58.

Circa num. 29.

Ubi de ludo Ecclesiasticorum.

Notanda Bulla Pij V. contra clericos & Religiosos ludorum lethaliū spectatores, sub excommunicatione, de quâ Diana *Parte* 7. *Tract.* 9. *Resol.* 40.

Circa num. 30. & 31.

Ubi de exponente in ludo totam summam, quam est lucratus.

Diana *suprà*, *Resolut.* 7. P. Thomam Sancium, Cardinalem Lugo, ac P. Dicastillum sequitur. Sed si alio die? Vide ibidem & comperies esse probabile cum citatis, negante P. Dicastillo, sed non probabilitatem.

Circa num. 33.

Ubi de potestate Vicarij Generalis, de quo & Titulo 12. num. 315.

De hoc Diana *Parte* 10. *Tractat.* 15. *Resol.* 31. vbi pro delegatâ plures Auctores adducit, sed pro Ordinariâ multo plures.

AD TITVLVM XV.

Circa Caput I.

Ubi an Parochi esse Visitatores possint.

Quod negat Pasqualigus *Decis.* 463. si residendum illis sit.

Circa num. 8. & sequentes.

Ubi de Visitatorum obligatione circa munera, & eorum restitutionem.

106 **P**ater Tamburinus in Decalogum *lib.* 9. *cap.* 2. §. 1. n. 11. & 12. ait Visitatores præ aliis iudicibus teneri, & disposita circa alios, in vi iuris naturalis relicta: vnde accepta ab illis ante prolationem sententiæ, restituenda; secus finitâ causâ. Si tamen iudex agnoscat se non esse in proximo periculo, quia de sua constantiâ est probabiliter certus, non tenebitur. Et leges prohibentes non obligare in conscientiâ. Sic n. 6. & 7. quia tamen Concilii Tridentini, citat *Cap. Romana*, in quo est verbum *Presumat*, temperatur, & ad exigua non extenditur, sine esculenta, siue alia. Sic philosophatur ille, iuxta cuius mentem accipiendum, & probabiliter quidem. Et quod absolutio à suspensione impendi possit virtute Bullæ Cruciatæ, videri potest apud Leandrum *Parte* 4. *Tractat.* 4. *Disput.* 4. *Quaest.* 3. in fine. & *Quaest.* 4. etiam in fine, iunctis iis, quæ habet *Disput.* 5. *Quaest.* 1. & 5.

Circ

Circa num. vltimum.

Ubi de obligatione Beneficiarij ad ornatum Ecclesiæ.

Teneri ad illud, si Ecclesia indigeat, probat & bene equidem, Pater Bardi in *Selectis* *Lib.* 3. *Quaest.* 10. *num.* 4. vbi quod & Ecclesia venit nomine pauperum. Et est sanè titulus ille non maior.

AD TITVLVM XVI.

Circa Caput I. & §. II.

Ubi de obligatione Parochi ad dicendam Missam, & applicandam pro Paræcianis.

Negat illam Pater Tamburinus *Opusculo de Sacrificio Missæ*, *Lib.* 1. *Cap.* 6. §. 2. *numer.* 2. quando in Paræcianis non est obligatio audiendi illam. Et quantum ad applicationem *Lib.* 2. §. 16. *num.* 4. Quæ sententia Parochis quidem est fauorabilis, humano more loquendo: sed certè fauor talis cum multo sum est certissimo detrimento, cum sint altissimi sacrificij fructu multiplici defraudandi. Leandret *Tomo* 2. *Tractat.* 8. *Disputat.* 5. *Quaestio* 5. ait omnes Doctores obligationem agnoscere, licet circa numerum non conueniant: ipse in Festis solemnioribus.

Ibidem circa num. 7.

Ubi de stipendio pro Missis obligationis.

107 **P**osse illud accipere Parochum quando est ad Missam dicendam obligatus, sed non ad applicationem, iuxta dicta *hoc loco*, tenet P. Tamburinus, quod est generale pro aliis, & cum obligatio applicationis non oritur ex stipendio, pro quo Leander *suprà*, *Quaest.* 14. & 15. stipendij autem nomine veniunt salarium, redditus Capellanæ, &c. sed ex opposito insurgit Bossius *Parte* 1. *Titulo* 1. *num.* 401. & seqq. Immo qui stipendium pro dicendâ Missâ accepit, sed sine obligatione applicationis, posse aliud stipendium accipere: sicut è conuerso, qui accepit pro applicatione, sed sine loci obligatione, de quo *Lib.* 3. *Cap.* 1. §. 3. *numer.* 14. & seqq. Quæ sententia erit probabilissima omnibus Pitantiariis, & vtriam non etiam pluribus aliis: sed iuxta illam (si consequenter loquendum) non solum duplex stipendium, sed & triplex licebit accipere: si quis adstrictus sit tantum loco, sed non tempori, cuius est ratio eadem. Quin etiam & quartum, si circa modum celebrationis aliquid exigatur. Atqui hæc non admittentur: modus ergo est circa prius illud statuendus, vt sit modus in rebus maximè sacræ, in quibus

Thesauri Indici Tom. II.

auaritia est execrabilis. Pro quo videri potest P. Bardi in *Selectis*, *Lib.* 10. *Quaest.* 12. n. 9. & P. Frangolus *Tom.* 2. *Pag.* 165. *Col.* 2.

Ibidem circa stipendium pro applicatione fructus respondentis celebranti, & de alijs circa Appendicem.

108 **S**ententiam id admittentem, quam & tenet sac latè probat Leander *suprà*, *qu.* 10. esse probabilem affirmat Lezana *Tomo* 4. *verb.* *Opinio*, *numer.* 10. sicut & aliàs de duplici stipendio. Et Verricelli *Tomo* 1. *Tract.* 29. *num.* 5. P. Tamburinus *suprà* *num.* 71. Sed tamen post scripta à me circa ipsam, & quod euenit augurante, à Sede est Apostolica proseripta, & Decreto SS. D. Alexandri VII. *Die* 29. *Ianuarij* 1659. reprobata. Contra quam etiâ, seculo Decreto Urbani VIII. stat P. Bardi *suprà*, & item damnauerat P. Perficus de officio Sacerdotis *Lib.* 2. *Dub.* 9. *num.* 102. Quem & alios adducit Diana *Parte* 6. *Tract.* 6. *Resolut.* 8. contra Marchinum. Qui & videndus contra eundem *Resolut.* sequenti; circa duplicem fructum, impetrationis scilicet & satisfactionis. Non ita absurda illa, iuxta quam P. Tamburinus *suprà* *num.* 53. & sequentibus asserit pro vna Missa posse plura stipendia exigua recipi, quæ vnium iustum stipendium non excedant. Negat id sacra Congregatio verbis, quæ satis videntur manifesta, dum sic habet: *Plura stipendia, quantumcumque incongrua & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata &c.* Quid ad hæc? Habere id locum dicitur, cum ita promissum, non verò quando sine promissione accepta fuerunt stipendia. Quod quidem in Decreto videtur innui, dum ita dicitur post adducta: *Vt absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elemosinæ, præscriptæ fuerint.* Sic ibi. Et hæc mihi pro saluanda sententia prædicta vt verosimilis explicatio succurrit, quam post hæc scripta inueni esse Peyrini apud Leandrum *suprà* *Quaest.* 5. Licet plus aliquid in eadem habeatur: quod scilicet neque promissio obstat, quam necessitas potuit extorquere: licet in eo, qui stipendium ita non accepit promissio non inducat obligationem sub mortali; immò & accepto, ob paruitatem materiæ, nisi illud fuerit copiosum. Pro quo & Diana *Parte* 10. *Tract.* 15. *Resolut.* 43.

109 Si dicas non videri verosimile iusto stipendio obligationem laboris iurgere. Dicit ad id conuenienter potest Pontificem sic posse statuere ad turpis lucri occasionem in re omnium diuinissimâ remouendum. Et qui ita promisit, sibi imputet promittenti, & audaciæ, quâ sine sufficienti est titulo ad sustentationem ordinatus. Videndus Diana à me visus post hæc scripta, aut reuisus potius dum visus exciderat, contra P. Tamburinum depugnans *Parte* etiam 10. *Tractat.* 16. *Resolut.* 71. Et nonnulla addens ex Cardinali Lugo. Quod verò idem Auctor proponit §. 5. n. 6. neque improbat, posse scilicet quempiam, retentâ parte stipendij, reliquum alteri tribuere vt Missam dicat, admittendum non est, stante Congregationis apertissimâ decisione, quam sub mor-

MMM 3

tali